DE

ILIADIS LIBRO VICESIMO QUARTO.

PARS PRIOR.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM SCRIPSIT

ET PRO SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS OBTINENDIS

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINI

IN

UNIVERSITATE LITERARUM JENENSI

PROPOSUIT

ANTONIUS TOMASZEWSKI,

BORUSSUS OCCIDENTALIS.

THORUNII.

IMPRESSUM TYPIS BUSZCZYŃSKIANIS.

MDCCCLXXVI.

Non ignoro, qui de carminibus homericis disputare animum induxerit, opus eum suscipere maxime arduum atque operosum et in varias incurrere reprehensiones, cum rem sibi proponat tractandam, de qua plurimi viri iique doctissimi tam acute atque erudite egerint, ut qui se illorum disputationibus aliquid addere posse existimet, deridenda haec videatur esse arrogantia. Codicem enim Venetum A. (qui inter Marcianos numeratur 454) et secundum hujus praestantissimi codicis fidem Iliadem una cum scholiis posteaquam doctissimus ille Villoisonus princeps Venetiis a. 1788 edidit et ad communem usum proposuit, plures in dies viri studia homerica exercere in iisque diligentius versari coeperunt. Cum vero Fr. Aug. Wolfius, qui jam ab ineunte aetate his studiis miro quodam amore erat deditus, nobilem illam Villoisoni editionem diligentissime doctissimeque perscrutatus, Prolegomenon [1]) libro id sibi quaerere proposuisset, Ilias et Odyssea utrum ab uno aliquo poeta, an a compluribus poetis essent perfectae probavissetque, in unius Homeri locum plures sufficiendos esse poetas, factum est, ut oculi omnium ita in hanc quaestionem conjicerentur, vix ut ulla inde ab illo tempore plus studii desiderare doctorumque hominum ingenia ad periculum sui faciendum videretur vehementius excitare.

Ac Wolfius quidem ipse quamquam primus quaestionem illam, in qua tot ex eo tempore homines ingeniosi et exerciti sunt et hodie exercentur, proposuit et constituit fecitque, ut vulgatam communemque opinionem, carmina homerica ab uno eodemque poeta esse composita, non modo vehementissime labefactaret, sed paene funditus tolleret, non tamen eo progressus est, ut quibusnam ex singularibus variorum vatum carminibus Ilias nostra aut Odyssea orta esset atque conflata, demonstrandum susciperet.

---

[1]) Prolegomena ad Homerum a. 1795 Halis Saxonum.

Hanc rem postea commodissime C. Lachmannus persecutus est eo libro, qui „Betrachtungen über Homers Ilias“ inscribitur. [1]) Qui postquam magna cum doctrina et summa ingenii qua erat instructus sagacitate poema quod est de Nibelungis, cujus naturam penitus perspexisse sibi visus est, in viginti carmina divisit [2]), qua ibi ratione usus erat, eandem in Homeri carminibus excutiendis adhibere non dubitavit. Cum enim cognovisset, omnia omnium populorum carmina antiquissima non effecisse jam ab initio „majora quasi corpora“, sed ex minoribus variisque complurium poetarum carminibus paulatim esse orta atque concreta, Iliadis quoque carmina nativa atque genuina investigare conatus est eaque duo de viginti fuisse statuit. Quae Lachmanni sententia cum percrebuisset, fieri non potuit, quin hominum doctorum animi vehementissime permoverentur. Utque fuerunt, qui eam sententiam, qua nihil videretur esse praestantius, cupidissime arriperent acerrimeque defenderent, ita reperti sunt multi, qui se ab opinionibus suis quas adamaverant deduci aegre ferentes eam vehementissime improbarent atque impugnarent. Quamvis vero in Lachmanni ceterorumque, qui ejus vestigiis ingrediuntur, disputationibus non pauca mihi cupidius quam verius posita esse videantur, tamen de tota re recte eum judicasse originemque carminum homericorum unum omnium maxime illustrasse cum plerisque nunc quidem persuasum esse putem, tum non despero fore aliquando ut, cum et a doctissimis viris hanc rem diligentissime tractari videamus, quaestionibus illis homericis in dies accuratius subtiliusque examinatis, judicium acutissimi viri eorumque qui hanc nostram Iliadem non ab uno eodemque poeta, sed a compluribus poetis neque una aetate compositam, Pisistrati demum opera in eum quem nunc tenet ordinem redactam esse volunt, magis magisque stabiliatur et confirmetur.

Sunt quidem, quibus Ilias summum omnibusque numeris absolutum compositionis videatur esse artificium, quod enasci nisi unius ex summi poetae ingenio non potuerit, quique querantur, quod critici isti nimio nimirum atque molesto vituperandi studio ducti, qui et ipsi haud raro alii ab aliis hac de re in disputationibus suis dissentiant, absolutum illud et perfectum poesis epicae exemplar non solum extenuaverint, sed fere totum deleverint. At nescio quid iis ipsis, qui ejusmodi criminationibus in adversarios utantur, tribuendum sit, qui tantum abest, ut in gravissima illa quidem criticorum Alexandrinorum auctoritate atque judicio acquiescant, ut et ipsi multis locis ad interpolationes confugiant et multos deleant versus.

Sed haec quidem hactenus. Neque enim mihi in animo est, quae a doctis viris hac de re in utramque partem disputata sunt, de iis hic copiosius disserere, nec illud mihi arrogabo, me posse rem tantam, tot controversiis implicatam satis commode demonstrare: id neque mei ingenii est, neque ratio hujus disputationis postulat. Unam tantum totius quaestionis homericae expromam particulam, de qua disputem, non quo verum a ceteris non inventum ego potissimum mihi videar deprehendisse, sed quia quaestionem hanc non indignam duco, in qua veri investigandi causa elaboremus studiumque collocemus, etiamsi quod velimus assequi non possimus.

[1]) Duae Lachmanni de hac re disputationes in academia Berolinensi a. 1837 et 1841 lectae, paucis additamentis Mauricii Hauptii auctae et a. 1847 Berolini prolatae sunt.

[2]) Zu den Nibelungen, Berlin 1836.

Atque posteriores vates qui illos antiquissimos secuti sunt poetas cum aliis locis iisque non paucis tum in exitu et Iliadis et Odysseae multa addidisse aut omnes jam aut plurimi consentiunt. Quod quidem cum de extrema Odysseae parte, quae jam a clarissimis illis gravissimisque criticis Alexandrinis Aristophane et Aristarcho Homero abjudicata est [1]), minime dubium esse videatur, liceat mihi de extrema Iliadis rhapsodia, de qua et ipsa inter viros doctissimos summam dissensionem esse videamus, quid sentiam exponere docereque, quibus in rebus haec rhapsodia a ceteris Iliadis rhapsodiis recedere censenda sit.

Sed antequam ad ipsam rhapsodiam accedamus, liceat mihi universam ejus naturam breviter perstringere.

Atque tantum abest, ut in hac rhapsodia omnia male atque inepte instituta esse contendam, ut multa pulcherrime facta esse non invitus concedam. Neque enim adeo post Homerum verisimile est evanuisse poeticam facultatem imitatoresque illos omnes tam malos omnique arte fuisse destitutos, ut quae addiderint, haec omnia sua natura manca esse et inepta statuere liceat. Sed niteant multa licet, neque tamen mihi silentio praetereundum videtur esse, multa jacere atque sordere, multa ab homerici sermonis consuetudine mirum in modum recedere, multa narrari, quae Homero nondum nota fuisse videantur, tot versus cum ex Iliade tum ex Odyssea esse repetitos — etenim quarta fere pars totius rhapsodiae ex aliis rhapsodiis deprompta est —, ut in nulla fere Iliadis parte majorem reperias numerum, multos autem tam inepto loco atque ita quidem esse positos, ut sponte furtum pateat. Cujus rei exempla, ne id temere videar contendisse, suo loco afferre non omittam.

His praemissis si ad ipsam rem aggredimur, primum optime videtur nobis Lachmannus animadvertisse causam, qua ductus posteriore aetate poeta aliquis hanc rhapsodiam addidisse putandus sit, esse repetendam ex rhapsodia XXII v. 412—28 [2]) ubi Hectore occiso Priamus senex acerbissimo dolore afflictus ab iis qui adstant, postulat, ut sinant se ad naves Graecorum proficisci Achilli illi quidem crudelissimo supplicatum, si forte sui misericordia Peleique patris memoria motus Hectoris corpus reddat.

His igitur versibus posteriore tempore, quo fortasse hominibus Graecis ille Iliadis finis jam non satisfacere videbatur, poetam aliquem, ut, „*Ἕκτορος λύτροις*“ aequalium suorum exspectationem expleret, adductum esse conjicere licet. Graeci autem, ut qui omnia, quae quandam ingenii homerici similitudinem speciemque prae se ferebant, libentissime cupidissimeque audirent, ut alias Iliadis partes, ita hanc quoque rhapsodiam, ut Homero haudquaquam indignam accipiebant. [3]) Quod si ita est, recte ut multa vir doctissimus Liesegangius contra Lachmannum disputare videtur cum dicat: „atque de Aristarcho vereor, ne Lachmannus severius ut interdum solebat judicaverit, cum dicat, id exspectandum fuisse, ut Aristarchus postremam Iliadis rhapsodiam et XXIII inde a versu 824 quinque certaminibus, tot enim fuisse promissa, peractis rejiceret. Videtur enim rem

[1]) Quod judicium quam verum sit, Spohnius in libro „de extrema Odysseae parte aevo recentiore orta quam Homerico, Lips. 1816“ ostendit.

[2]) l. l. pag. 85 cfr. Bergk. Griech. Literaturgesch. I Bd. pag. 639 „das Motiv zu der Lösung Hectors entnahm der Dichter aus Stellen des 22 Gesanges, namentlich aus der Rede des Priamus.

[3]) cfr. Liesegang „de XXIV Iliadis rhapsodia dissertatio. Pars prior Duisburg 1862 pag. 5.

quandam, in qua satis magnum est momentum, justo minoris aestimasse. Nam Aristarchus, cum esset homo Graecus, summa reverentia divini illius poetae imbutus atque mira illa sermonis suavitate et dulcedine delenitus non facile ab animo impetrare potuit, ut quam rhapsodiam aliquot athetesibus in integrum posse restitui arbitraretur, eam rejiceret totam.“ [1]) Quid igitur? vituperandusne idcirco Aristarchus? Mihi quidem non videtur. Quid? quod ne nostra quidem aetate desunt, qui nos hac rhapsodia prorsus carere non posse contendant eamque propter illas nescio quas rationes aestheticas omni modo tuendam esse statuant. Poetam enim in componenda Iliade non id tantum spectasse volunt, ut probabilem exhiberet actionum seriem atque connexionem, sed ut proponeret quasi speculum quoddam vitae humanae ad delectandos non magis auditorum animos, quam ad movendos atque monendos comparatum. Itaque eo eum retulisse omnia, ut heroum exemplis homines admonerentur, quae esset humanitatis conditio, qui modus in rebus, qui fines, quos egredi hominibus non liceret: cui consilio cum cetera, tum Achillis personam maxime accommodatam esse. Proponi igitur eum initio quidem illata sibi ab Agamemnone injuria non immerito iratum; mox cum modum in ira excesserit et adversarii satisfactionem pertinaciter respuerit, gravem ipsum culpam contrahere: quam eo fieri graviorem, quod in summo rerum discrimine nonnihil quidem, neque tamen quantum debuerit, de pertinacia remittat. Quamobrem mox ei poenam irrogari gravissimo ipsi vulnere Patrocli morte inflicto, ad quam ulciscendam cum iterum supra modum in ejus interfectorem saevierit, postremo tamen deorum ipsorum admonitione Priamique senis precibus ad moderationem et continentiam humanaeque sortis recordationem revocari. [2])

Jam vero audiamus quomodo H. Duentzerus, vir doctus in primis, hanc rhapsodiam defendere studeat, cum contra Geppertum qui nihil antiquius habuit quam ut totum hunc librum a rhapsodo absurdo omnique ingenii arte destituto compositum esse contenderet [3]) in hanc fere sententiam disputet: „Hectore occiso Achillis iram haudquaquam esse satiatam, non modo necatum amicum esse sepeliendum ludisque solennibus funus ejus ornandum (quo in funere duodecim captivos Trojanos, quorum rh. *Φ* 27 sqq. *Ψ* 22 sqq. mentio sit facta, esse immolandos), sed etiam interfectoris corpus ea, quam Achilles (rh. *X* 335 sq, 354) minatus sit, contumelia esse afficiendum. Ac ne tum quidem Iliadem apte finiri posse. Repugnare enim legibus artis poeticae carmen terminari animo Achillis, qui ulciscendi cupidissimus sit, non placato, non posse subsistere Iliadem in miserrimis illis lamentationibus, quae de Hectoris caede eduntur. Quem ibi esse finem? quam absolutionem perfectionemque ultionis? Eam inveniri in hac rhapsodia, in qua Achilles, qui jam cognitum habeat, ne ira quidem expiata animum posse reconciliari, fati necessitatem aequo

[1]) ibidem.

[2]) Nitzsch. Die Sagenpoesie der Griechen kritisch dargestellt. Bd. I. Die homerische Kunstepopöe in nationaler Theorie, Braunschweig 1852.

cfr. Otfr. Müller. Geschichte d. gr. Lit. I. 97 „Es ist klar, dass Homer erstens den Plan der Ilias mit dem vollen Bewusstsein entwarf, dass der Zorn des Achilles gegen Hektor irgend eine Milderung, eine Versöhnung bedürfe und das am Ende des Gedichts für den Helden wie für den Dichter eine sanfte und menschliche Gemüthsstimmung, welche mit Ruhe die Zukunft erwartet, erforderlich sei.“

[3]) Geppert: über den Ursprung der homerischen Gesänge. Leipzig 1840.

animo esse ferendam, mobilitatem atque inconstantiam sortis humanae conqueratur ac deploret (Ω 524 sqq), ubi quieto et tranquillo animo sub eodem tecto cum ejus, qui amicum ipsius occidit, patre dormiat eique filii corpus reddat". [1])

Praedicant autem summisque laudibus efferunt cum sapientiam poetae, qui tale potissimum argumentum tam grave tamque tragicae cujusdam dignitatis plenum ex omni fabularum troicarum multitudine sibi tractandum elegerit, tum vero singularem divinamque artem in ipsa ejus tractatione.

At vereor qui his atque talibus causis ducti hanc rhapsodiam tuendam esse arbitrantur, ne minus „ex homericae aetatis ingenio — ut Liesegangii verbis utar — quam ex suis ipsorum nostrorumque temporum moribus tulerint judicium".

Insistere igitur huic rei nolo nec refragabor, si quis ad illud defensionis genus audeat confugere. Neque enim fugere quemquam puto, de ejusmodi rebus, quae ad aestheticam quae vocatur, referuntur haud raro in utramque partem satis scite atque commode posse disputari, cum praesertim rem omnem ejusmodi esse intelligam, quae ad liquidum perduci certisque argumentis demonstrari vix possit. Indidit enim hanc natura omnibus „φιλοστοργίαν" — sunt haec Schoemanni verba — ut etiam in hoc rerum genere quod quisque ex sese peperit, id carissimum habeat placereque omnibus cupiat.

Quoquo modo igitur res se habet, num aestheticae illius institutis et praeceptis majorem adjungemus fidem quam argumentis ac rationibus ex ipsis carminibus repetitis? Quid? si multis in rebus iisque non parvis hanc rhapsodiam a ceteris Iliadis rhapsodiis discrepare demonstratum erit, nonne eam ab homerica illa aetate atque ipsius poetae ingenio alienam esse fatebimur?

Aliter quidem hac de re judicat vir summa doctrina ornatus L. Friedlaender, qui quamquam haud ignorare videtur, inesse in hac rhapsodia singularum rerum singulares proprietates, tamen eam in libro quem inscripsit „die homerische Kritik von Wolf bis Grote" contra Lachmannum, a quo quondam stabat, tuendam suscepit. At nescio quantum docto illi viro tribuendum sit, qui tantum abest ut totam Iliadem, quam quidem nunc habemus, ab uno eodemque poeta compositam esse, ut troicarum fabularum duo inter se diversa carmina fuisse postremasque duas rhapsodias, ut poema illud apte concluderetur, additas adjectasque esse statuerit. [2])

Verumtamen ne longius a re ipsa abstrahamur utque tandem aliquando ad illam de λύτροις rhapsodiam, de qua disputare constituimus, aggrediamur: ludis funebribus, quos Achilles in Patrocli honorem instituerat, perfectis ceteri Achivi ut coenarent et coenati quiscerent ad suam quisque navem discesserunt. Achilles autem, utqui commilitonis carissimi desiderio perculsus somnum

---

[1]) H. Duentzer: über das vier und zwanzigste Buch der Ilias Rh. Mus. für Phil. von Welcker 1847 V. 378—421 und „homerische Abhandlungen. Leipzig 1872 pag. 326 f.

cfr. Nitzsch l. l. p. 270: Das Gedicht schliest nicht mit der Rache an Hector, weil Achill nicht zuletzt als der grause, wilde Rächer erscheinen durfte, nach den Leichenspielen dient namentlich die Scene mit Priamus zur Beruhigung und Erhebung der Menschlichkeit Achills.

[2]) L. Friedländer „Die homerische Kritik von Wolf bis Grote" pag. 62. „Und wenn das Buch in Sprache Manieren und Kenntniss einiger Mythen allerdings manches eigenthümliche hat, so unterscheidet es sich von den andern aufs höchste nicht stärker, als zwei von verschiedenen Dichtern gleichzeitig verfasste Gedichte sich nothwendig unterscheiden müssen".

capere non posset, multo mane cubili relicto per littus errabat Hectorisque corpus denuo ad currum religatum ter circum amici tumulum rapiebat, raptum cum humi jacens reliquisset rursus quieti se dabat. Apollo autem Hectoris corpus ne deformaretur, aurea aegide tegebat. Dii tandem misericordia commoti postulant a Mercurio, ut corpus surripiat, a Neptuno Junone Minerva contradicentibus prohibentur, objurgantur ab Apolline. Rixa inde orta componitur a Jove, qui se per Thetidem Achilli mandaturum esse declarat, ut pretio a Priamo accepto Hectoris corpus reddat (v. 1—76).

His praemissis jam videamus res quasdam singulas. Ac primum quidem ipsum ad hanc *λύτρων* rhapsodiam transitum parum commode esse factum jam summus ille criticus, Lachmannum dico, animadvertit. [1]) Accedit quod incipit carmen a forma „*λῦτο*“, quod quid sit neque inter veteres neque inter recentiores satis constat. Legimus porro in eodem v. *θοὰς ἐπὶ νῆας ἕκαστοι ἐσκίδναντ' ἰέναι;* at verbum *σκίδνασθαι* quamvis haud raro sit „discedere“ nusquam tamen nisi hoc loco invenies cum infinitivo „*ἰέναι*“ conjunctum. Confer si videtur *Α 487 ἐσκίδναντο κατὰ κλισίας τε νέας τε; α 274 μνηστῆρας μὲν ἐπὶ σφέτερα σκίδνασθαι ἄνωχθι; β 252 λαοὶ μὲν σκίδνασθ' ἐπὶ ἔργα ἕκαστος.* Versus autem huic simillimos habes *Τ 277 οἱ μὲν ἄρ' ἐσκίδναντο ἑὴν ἐπὶ νῆα ἕκαστος, Ψ 3,* quos quidem prorsus cum hoc congruere vides nisi quod h. l. poeta istud „*ἰέναι*“ addidit, quo adjecto ab homerici sermonis consuetudine recessit, et *ἑὴν ἐπὶ νῆα ἕκαστος* in *θοὰς ἐπὶ νῆας ἕκαστοι* mutavit.

Vix aliter judicari poterit de verbis v. *3 δόρποιο μέδοντο ὕπνου τε γλυκεροῦ ταρπήμεναι*, in quibus explicandis alii aliam ingressi sunt viam. Alii enim genitivos et *ὕπνου* et *δόρποιο* aptos esse dicunt ex verbo *μέδεσθαι*, alii contra h. l. verbum *μέδεσθαι* singularem vim deliberandi habere affirmant atque ita quidem, ut inde infinitivum *ταρπήμεναι*, ex hoc autem utrumque genitivum pendere censeant. At ne ita quidem hanc hujus loci difficultatem removeri quis est quin videat? Etenim nusquam hunc locum si exceperis, verbum *μέδεσθαι* conjungitur cum infinitivo, ponitur saepenumero cum genitivo veluti: *δόρποιο* h. l. *Σ 245 δείπνοιο τ 321 κοίτοιο* vel *κοίτου β 358 γ 334 πολέμοιο Ι 650 νόστοιο λ 110 μ 137.* Huic autem verborum q. v. constructioni apud Homerum nihil simile invenies.

Atque hoc quidem satis constat in iis, quae postea demum additae sunt carminum homericorum partibus multos deprehendi versus, qui jam in antiquioribus carminibus reperiuntur. Erant enim apud vetustiores illos vates in usu formulae quaedam, quaedam verborum conjunctiones, quibus in carminibus condendis et memoriae mandandis recitandisque maxime videntur fuisse adjuti. Quamobrem non de iis loquor versibus, quibus illae describuntur res, quarum plus semel mentionem fieri opus erat, sed versus intelligo, qui in illo numero nullo modo prorsus haberi possunt quique haud raro tam immodice repetuntur, ut quaedam partes centoni simillimae esse videantur. Hujus quoque de qua agimus rhapsodiae permultos versus in aliis cum Iliadis tum Odysseae carminibus deprehendes. Quod ne temere leviterque videar contendisse confer si placet eum, quem hic imitatus est locum Odyss. *ι 373 κὰδ δέ μιν ὕπνος ᾕρει πανδαμάτωρ*, quae quidem verba is qui hanc

[1]) l. l. pag. 85.

rhapsodiam composuit in suum usum convertere non dubitavit; dicit enim de Achille — v. *5.* *οὐδέ μιν ὕπνος ᾕρει πανδαμάτωρ.* Neque mihi quidem videtur esse dubium, quin hujus poetae animo cum pangebat verba v. *7.*

ὁππόσα τολύπευσε σὺν αὐτῷ καὶ πάθεν ἄλγεα,

ea quae Ulixes Calypsoni nymphae *ε. 223. ἤδη γὰρ μάλα πόλλ' ἔπαθον καὶ πόλλ' ἐμόγησα κύμασι καὶ πολέμῳ* et Phaeacibus *ϑ. 155 ὃς πρὶν μὲν μάλα πόλλ' ἔπαθον καὶ πόλλ' ἐμόγησα* narrat, obversata sint. Spectant autem haec Odysseae verba sine dubio ad pericula illa, quae Ulixi terra marique erant subeunda. Constat enim, Graecis non Trojam petentibus sed a Troja redeuntibus, maximos labores fuisse tolerandos. Versus autem *8. ἀνδρῶν τε πτελέμους ἀλεγεινά τε κύματα πείρων* utqui semper de Ulixe *(ϑ. 183. ν. 91. 264)* usurpetur, h. l. ad Achillem referatur, utri aptior sit haud difficile erit ad dijudicandum. Duo praeterea sunt loci, qui huc vocari possunt: rh. I. 328 sq, ubi tres et viginti urbes a se captas et direptas Achilles gloriatur, et quae Od. *γ 103.* sqq. Nestor Telemacho narrat. Forsitan autem sic potius res se habeat, ut poetam h. l. de narrationibus aequalium, cyclicos dico, cogitasse statuamus, qui Achillem Trojam profecturum ad insulam Scyrum delatum esse tradiderunt.

Ceterum vv. 6—9 qui quidem teste Liesegangio ab alio quodam grammatico ea de causa ut *„ἐμβρόντητοι ῥηματίων κακοσχόλως ἐχόμενοι“* vituperabantur, jam ab Aristophane et Aristarcho remoti sunt. (Schol. *„ὅτι εὐτελεῖς εἰσίν“*).

In vv., qui jam sequuntur 12 sq. — *οὐδέ μιν ἠὼς*

φαινομένη λήθεσκεν ὑπεὶρ ἅλα τ' ἠϊόνας τε poetae obversatum fuisse puto locum Odyss.

χ. 197. οὐδὲ σέ γ' ἠριγένεια παρ' Ὠκεάνοιο ῥοάων

λήσει ἐπερχομένη χρυσόθρονος. Atque *ὑπεὶρ ἅλα* habes *δ. 172. γ. 73. ι. 254.* — *παρὰ θῖν' ἁλός Α 316. 327. Λ 622. κ. 179.*

Scite animadvertit Liesegangius: in nulla Iliadis rhapsodia tot quot in hac deprehendi formas iterativas q. v. Jam liceat mihi breviter repetere tibique ante oculos quasi constituere, quae vir ille doctissimus de hac re disseruit. Formae iterativae omnino non leguntur in rh. *Μ*, una in *Κ*, duae in *ΞΦ*, tres in *ΑΨ*, quatuor in *Ζ*, quinque in *ΔΗΤΥ*, sex in *ΘΝ*, septem in *ΓΟ*, octo in *ΕΠ*, novem in *ΒΣ*, decem in *ΙΧ*, undecim in *ΛΡ*, in nostra autem rhap. omissa voce *ῥύσκευ* v. 730 duo de viginti vv. 12. 13. 15. 17 duae. 23. 24=739. 393. 454=456. 455. 472. 607. 752. 755., unde altero tanto plures in hac rhapsodia formas esse iterativas apparet quam medius quem vocant earum est numerus in reliquis rhapsodiis.

Neque mihi alienum esse videtur hoc loco commemorare, nulli Iliadis rhapsodiae tot esse vocabula communia cum Odyssea: de quibus quoniam satis ab aliis, scientissime a Liesegangio, expositum est, [1]) nunc a nobis dici nihil attinet; illinc assumes, quae ad hanc rem pertinebunt. Sed eo jam, unde digressi sumus, revertamur.

---

[1]) l. l. pag. 8.

Quod quidem v. *18*

ἐν κόνι ἐκτανύσας προπρηνέα. τοῖο δ' Ἀπόλλων

similis est versus 25 rh. *Ψ*

„πρηνέα πὰρ λεχέεσσι Μενοιτιάδαο τανύσσας ἐν κονίῃς“,

ei rei non multum tribuerim. Utroque loco Hectoris corpus Achilles sibi dedecorandum esse constituerat, neque mihi quidem quidquam ex ea similitudine elici posse videtur.

Versus qui jam sequuntur 20 et 21

περὶ δ' αἰγίδι πάντα κάλυπτεν

χρυσείῃ, ἵνα μή μιν ἀποδρύφοι ἑλκυστάζων

ab Alexandrinis rejiciuntur. Contendunt enim eos redundare, v. 19

πᾶσαν ἀεικείην ἄπεχε χροΐ, φῶτ' ἐλεαίρων

plane sufficere: quomodo dii Hectoris corpus a lacerationibus atque injuriis foedissimis defenderint poetam nescire: non convenire Jovis aegide hominem mortuum tegi *„ἀνίερον καὶ ἀκάθαρτον τὴν τοῦ Διὸς αἰγίδα νεκροῦ περίβλημα γίνεσθαι“* aegidem non esse Apollinis *„αἰγὶς οὐκ ἔστιν αὐτοῦ“* parum apte corpus ab Achille raptum eo ipso tegi tempore *„πῶς δὲ καὶ κατείληπτο τῇ αἰγίδι ἑλκόμενος, (ἵνα μὴ ἀποστραφῇ)“*, repugnare hunc locum alii cuidam in rhaps. *Ψ 186* sqq, ubi Venus narratur dies noctesque canes arcere roseoque et ambrosio unguento ne violetur corpus ungere, Apollo autem, ne corpus solis ardore torreretur, totum locum, ubi corpus jacebat, atra nube circumdedisse narratur. Quid? quod nostra aetate homines haud indocti ab Alexandrinis stant eorumque sententiam defendere conantur? quod Henricus Duentzerus, vir doctissimus, ut omnibus naevis hanc rhapsodiam, cujus olim susceperat patrocinium, liberaret, et hos versus et alios multos, ut ab interpolatore insertos, delendos esse censet? [1]) Nimirum sic saepe criticos etiam prudentissimos agere videmus, ut, si quid ipsorum rationibus minus conducat, id interpolatorum fraudi aut stultitiae imputent, quasi vero illi caeco quodam impetu, non aliqua saltem, quamvis saepenumero falsa, ratione permoti Homerum interpolaverint. De hoc autem similibusque locis haud scio an aliter sit judicandum. Nam si is qui hanc rhapsodiam composuit, multis locis a consuetudine homerica id est ejus poetae, qui meliores Iliadis partes fecit, abhorret, si multarum rerum longe aliam vel majorem, quam quae homericae aetatis videtur fuisse, habuit cognitionem et scientiam, jure poterimus quaerere, utrum omnes hujus rhapsodiae loci, qui cum ceteris Iliadis partibus partim in rebus ipsis, partim in dictionibus discrepant removendi sint atque tollendi, an integri intactique sint relinquendi, argumenta scilicet, unde de recentiore hujus carminis origine conjecturam facere liceat. [2]) Equidem cum Lisegangio ejusmodi locos, quos quidem non paucos in hac rhapsodia deprehendes, removendos esse nego. [3]) Alexandrini autem, quippe qui falsam ut eo tempore par erat, de origine poesis epicae et de Homero poeta haberent opinionem, — etenim artem criticam veterum grammaticorum temporibus nondum

[1]) l. l. pag. 383 et homerische Abhandlungen pag. 330 f.

[2]) cfr. Liesegang l. l. pag. 9.

[3]) cfr. Geppert l. l. I 29 f. 117.

ad eam qua hodiè gaudemus perfectionem adductam fuisse satis constat — quamquam multa in hac rhapsodia notabant ac vituperabant, tamen non facile ab animo impetrare potuerunt, ut eam Homero abjudicarent totamque rejicerent. Itaque jure hunc locum, quippe in quo multa inessent, quae cum ceteris Iliadis partibus pugnare et divini illius Homeri ingenio indigna esse viderentur, ab Alexandrinis notatum esse equidem libenter agnosco, athetesis non erat adhibenda.

Atque simile quid etiam in versibus, qui jam sequuntur 22—76 accidisse videmus, ubi item Alexandrini multa vituperantes ad *ἀθετήσεις* illas confugerunt. Ecce potissima:

1. *τὸ κλέπτειν δι' Ἑρμοῦ θεοῖς οὐ πρέπον.* Recte id quidem; quod vero non omnes dii auctores sunt consilii, quo Mercurius Hectoris corpus furari jubetur, id mihi non valde urgendum videtur esse. Cfr. contra schol. ad 25.

2. *τὸ νείκεσσε οὐκ ἔστι κρῖναι ἀλλ' ἐπιπλῆξαι ἢ διαφέρεσθαι*, quod quidem argumentum falsum est, nam *νείκεσσε* hoc loco non eam habet vim, qua scholiastae offendebantur judicandi — non igitur est *κρίνειν*, *νεῖκος διαλύειν* — habet vim increpandi. Idem statuendum erit de verbis

3. *ἡ μέσαυλος σημαίνει τὴν ἐν ὄρει οἴκησιν Ὁμήρου παραδεδωκότος ἐν ἄστει τεθράφθαι τὸν Ἀλέξανδρον καὶ μουσικὴν ἠσκηκέναι*, cum non constet Paridem in urbe esse educatum neque unquam ad greges revertisse. [1])

4. *ἡ μαχλοσύνη κοινῶς ἐπὶ γυναικὶ μανία· δέδωκε δ' αὐτῷ οὐ ταύτην, ἀλλὰ τὴν καλλίστην τῶν τότε Ἑλένην. Ἡσιόδειος δ' ἐστὶν ἡ λέξις.* In voce *μαχλοσύνη* obscoeni quiddam videtur inesse ideoque ab Aristarcho improbata est. Neque defuerunt, qui vel totum hemistichium mutandum censerent. [2])

5. *τὴν περὶ κάλλους κρίσιν οὐκ οἶδεν πολλαχῇ γὰρ ἂν ἐμνήσθη.* cfr. schol. *Δ 52. ὅτι τούτων τῶν πόλεων ἕνεκα* (sc. *Ἄργος τε Σπάρτη τε*) *συνεμάχουν τοῖς Ἕλλησιν, οὐ διὰ τὸ ἀποκεκρίσθαι ὑπὸ Ἀλεξάνδρου τὸ κάλλος αὐτῶν, ὅπερ οὐκ οἶδεν Ὅμηρος.* Quod judicium mihi quoque rectissimum videtur esse. Qui enim fieri poterat, ut antiquior quilibet poeta certaminis illius, quod inter tres illas deas de pulchritudine ortum est, quo nihil fere postea (sc. aetate cyclica) clarius erat hoc loco mentionem faceret! Nusquam neque in Iliade neque in Odyssea — quamquam tam saepe fieri poterat vel adeo necesse erat — cfr. si placet *Δ 31* sqq., ubi patefiunt implacabiles Iunonis et Minervae in Trojanos irae, quae satiari nisi horum interitu non possent, et *E* 63 — ullum invenies locum, unde hanc fabulam homerica aetate fuisse notam conjicere possis. [3])

Atque sic visum veteribus, qui quemadmodum supra diximus, falsa de primordiis poesis epicae opinione imbuti artisque criticae rudes, quae ceteris Iliadis partibus repugnabant, ea tollenda esse atque delenda judicabant. Neque ex recentioribus defuerunt, quibus hoc judicium satisfaceret, quorum unus,

---

[1]) cfr. Welcker ep. Cycl. II p. 116.

[2]) invenitur teste Suida apud Hes. „*εἵνεκα μαχλοσύνης στυγερῆς τέρεν ὤλεσεν ἄνθος*“ Göttl. Hes. Frag. 41.

[3]) cfr. Faesi ad *Ω 29.*

Longe aliter Welckerus l. l. pag. 14. „Da nun so viele Umstände in der ganzen Geschichte seit Homer einstimmig erzählt werden, die Erfindung vom Kampf der Göttinnen aber so einfach, so stätig, so geschickt, um alles Folgende daraus zu entwickeln erscheint, so ist sie bei Homer als allbekannt vorauszusetzen, selbst wenn sie in jener Stelle untergeschoben oder vielmehr der ganze Gesang später als Homer war. Wir sehen hier gerade recht deutlich, wie die hom. Dichtung einen ihren Hörern allgemein gegenwärtigen Hintergrund und als Theil ein Ganzes der Sage voraussetzt.

Duentzerum dico, hic rem sic expedivit, ut diceret: „Quid tandem causae est, cur, cum in omnibus Iliadis partibus interpolationes inesse videamus, easdem huic rhapsodiae derogemus?" Quod si sic statuitur, fieri sane potest, ut verum sit, potest autem etiam, ut falsum. Etenim fac tecum perpendas multa hoc loco parum apte esse instituta, multa inconsiderate negligenterque esse ficta, hoc loco et aliis hujus rhapsodiae non paucis majorem et ampliorem rerum fubularumque mythicarum notitiam atque scientiam, quam ceterae Iliadis habeant partes, deprehendi: quid? num delebis h. l. cum Alexandrinis vv. 23—30? num delebis quoque vv. 59—63, ubi poeta Iunonem facit gloriantem, se Thetidem deam marinam educasse atque Peleo dedisse uxorem omnesque deos illis nuptiis interfuisse? delebis v. 107, ubi commemoratur rixa illa, quae de Hectoris corpore et de Achille inter deos immortales per novem dies dicitur fuisse? num removebis vv. 249—250, ubi novem enumerantur Priami filii et v. 257 Priamus ipse narrat Mestorem et Troilum optimos filios esse interfectos — Troilum autem constat a cyclicis poetis maxime fuisse celebratum? num delebis alios versus, quibus res continentur et narrantur, quae ad cyclicorum poetarum aetatem et notitiam referendae esse videantur?

Quid igitur? praestat haec aliaque recentioris originis vestigia audacissimis istis athetesibus et subtilissimis explicationibus delere atque restinguere, an retinere et profiteri, inde esse colligendum, hanc rhapsodiam posteriore demum tempore esse ortam? Sed haec quidem hactenus; jam ad singula revertamur. Inspice primum, si placet, v *20 περὶ δ' αἰγίδι πάντα· κάλυπτεν χρυσείῃ, ἵνα μή μιν ἀποδρύφοι ἑλκυστάζων*, quem quidem versum cum pangebat poeta reminiscebatur sine dubio versus rhap. *Ψ 187 ῥοδόεντι δὲ χρῖεν ἐλαίῳ Ἀμβροσίῳ, ἵνα μή μιν ἀποδρύφοι ἑλκυστάζων.* Quod quidem Schol. ad h. l. dicit *„αἰγὶς οὐκ ἔστιν αὐτοῦ"*, hoc facile redargui posse videtur rhap. *O 361 — πρὸ δ' Ἀπόλλων αἰγίδ' ἔχων ἐρίτιμον.*

Ceterum nusquam hoc loco excepto *„χρυσείῃ"* aegidis est epitheton, quae solet vocari *ἀμφιδάσεια, θυσσανόεσσα* quae quidem epitheta optime quadrant in nubium naturam, ad vim autem atque robur spectant voces *θοῦρις, δεινή. Φ 400* habes *σμερδαλέη*, at hic alii *ἀσπίδα* legi volunt.

In versibus qui jam sequuntur quaedam ab homerici sermonis usu recedere videntur, uti v. 22=54 *ὣς ὁ μὲν Ἕκτορα δῖον ἀείκιζεν μενεαίνων.* Etenim verbum *μενεαίνειν* nusquam legitur nisi ita, ut addatur infinitivus aut facillime ex proximis possit suppleri velut: *O 617 ἀλλ' οὐδ' ὣς δύνατο ῥῆξαι, μάλα περ μενεαίνων* sc. *ῥῆξαι; ε 341 οὐ μὲν δή σε καταφθίσει, μάλα περ μενεαίνων* sc. *καταφθίσαι.* Uno tantum loco *T* 367 aliter res sese videtur habere, sed vv. 365—68 omnium consensu removentur. Adde quod Mercurius v 24 et 109 neque ullo alio Iliadis loco vocatur *ἐύσκοπος*, saepenumero in Odyssea *α* 38, *η* 137 al. et hymn. Apoll. 200. Merc 73.

v. 25 sq. si legimus, venit nobis in mentem rhap. *A* 398 sq., ubi hi tres dii, ut Jovem vincirent, societatem iniisse narrantur, quos quidem quominus consilium perficerent, Aegaeone auxilio vocato, aegre a Thetide prohibitos esse dicit Achilles. [1]) Neque mihi quidem satis liquet qui fieri potuerit, ut Neptunus, qui nusquam alibi Achilli favisse narratur, hoc loco ab ejus stet partibus. Duentzerus offenditur verbis *γλαυκώπιδι κούρῃ* v 26 et *λαός* v. 28. Neque injuria. Nam

[1]) Preller. Gr. Mythol. I p. 130.

verba *γλαυκώπιδι κούρῃ* in Odyssea demum leguntur, in Iliade habes aut *γλαυκῶπις Ἀθήνη* sive *Ἀθηναίη*, aut absolute, ut ajunt, ponitur *Γλαυκῶπις*. Obversabantur, opinor, hujus poetae animo *β 433 ἐκ πάντων δὲ μάλιστα Διὸς γλαυκώπιδι κούρῃ* et *ω 518 εὐξάμενος κούρῃ γλαυκώπιδι καὶ Διὶ πατρί.* Versus autem *28 καὶ Πρίαμος καὶ λαὸς Ἀλεξάνδρου ἕνεκ' ἄτης* ex duobus aliis est compositus, scilicet *Δ* 47.165 additis ex *Ζ* 356 verbis *Ἀλεξάνδρου ἕνεκ' ἄτης*. Verbo autem *λαός* alibi genitivus *Πριάμοιο* additus esse solet. Quid? quod paulo infra v. 37 ad eam mutandi poeta progressus est licentiam, ut vel pluralem in locutione simillima parique sententia adhibere non dubitaverit: *καὶ πατέρι Πριάμῳ λαοῖσί τε.*

Versum 31 *ἀλλ' ὅτε δή ῥ' ἐκ τοῖο δυωδεκάτη γένετ' ἠώς* hoc loco non satis apte esse positum recte Lachmannus contendit. Exstat idem v. rh. *Α* 493. Utroque loco non habes, quo referas illud „*ἐκ τοῖο*". Ex versu demum 107 et ex v. 413 licet conjicere hoc loco dies ab eo die, quo Hector est occisus, esse numerandos. [1]) Quod vero dicit poeta „*δυωδεκάτη*", hoc nullo numero videtur esse, neque enim minus commode voce „*δεκάτη*" poterat uti (cfr. v. 784). Videtur autem hic versus jam antiquissimae poesis epicae fuisse proprius.

Jam supra dixi, permultos hujus de qua agimus rhapsodiae versus in aliis carminibus et Iliadis et Odyssae inveniri. Neque tamen necessarium esse puto, de unoquoque versu vel hemistichio accuratius disputare et suam cuique propriam quasi sedem, si quidem fieri potest, attribuere: de iis tantum versibus, in quibus singulare quiddam videtur inesse quique graviorem habent offensionem, accuratius disseram.

v. 40 *ᾧ οὔτ' ἄρ φρένες εἰσὶν ἐναίσιμοι οὔτε νόημα γναμπτὸν ἐνὶ στήθεσσι:* in voce *νόημα*, quae quidem omnino in antiquioribus Iliadis partibus non deprehenditur, forsitan silentio non sit praetermittendum hoc loco excepto voci illi non addi *ἐνὶ στήθεσσι*, quod saepius legitur in Odyss. *ἀλλ' οὐ* s. *αἰεί τοι τοιοῦτον ἐνὶ στήθεσσι νόημα ρ 403 ν 330.* Habes porro *β 363 ξ 273 ἐνὶ φρεσὶ τοῦτο νόημα*, ubi significatur „consilium, propositum". Atque saepe quidem verbo *νοεῖν* adjungitur *φρεσί, θυμῷ, κατὰ φρένα καὶ κατὰ θυμόν*, unde efficiatur significatio intellegendi, in hac autem rhaps. v. 294=312 *ἐν ὀφθαλμοῖσι νοήσας* et *Ο 422 ὀφθαλμοῖσι νοῆσαι* similiter atque *ἰδεῖν, ὁρᾶν (ἐν) ὀφθαλμοῖσι* de iis dictum est rebus, quae in conspectum cadunt oculisque percipiuntur. Idem legitur hym. Ven. 83 *μή μιν ταρβήσειεν ἐν ὀφθαλμοῖσι νοήσας.*

v. *43 ἐπὶ μῆλα βροτῶν, ἵνα δαῖτα λάβῃσιν.* In una re homerici sermonis usum neglexit, etenim vocabulum *δαίς* h. l. de esca bestiarum usurpatur, omnibus aliis locis, qui sunt permulti, de hominum cibo legitur. At fortasse h. l. ideo potest excusari, quod in simili id factum esse videmus.[2])

In v. 44 habes *ἁπ. εἰρ. ἔλεον.* Atque huic voci sane aliquid tribuendum esse censeo. Quae ad eandem stirpem referuntur sunt apud Homerum haec: *ἐλεεινός* saepe, *ἐλεέω 207. 301. 332. 357. 503.* al. *ἐλεήμων ε 191. ἐλεητύς* bis in Odyss., *ἐλεαίρω* 19. 23. 174 al. Simplex hoc uno invenitur loco.[3])

[1]) cfr. Friedlaender l. l. pag. 61 Faesi ad. h. l.

[2]) cfr. Faesi ad h. l.

[3]) Liesegang l. l. pag. 11 cfr. contra Duentzer l. l. pag. 333 Anm.

v. 45 ut ex Hesiodo Opp. 316 depromptum jam Alexandrini removendum esse censuerunt rectissime (cfr. Schol. ad h. l. *παρὰ μὲν γὰρ Ἡσιόδῳ γνωμικῶς*) Atque refragatur adeo hujus loci sententiae, ut haud dubie prorsus sit delendus.

Jam vero fac animum attendas, quantopore noster ab homerica dicendi consuetudine abhorreat v. *48 ἀλλ' ἤτοι κλαύσας καὶ ὀδυρόμενος μεθέηκεν.* Nullum neque in Iliade neque in Odyssea invenies locum, ubi verhum *μεθιέναι* cum participio sit conjunctum. Nam conjungitur aut cum genitivo, velut *Δ 234 μαθίετε θούριδος ἀλκῆς. N 97 πολέμοιο μεθήσετε λευγαλέοιο*, aut cum accusativo *χόλον A 283, ῥῖγος καὶ κάματος ε 472*, aut absolute, quod ajunt, ponitur ut *δ 372 ἦχὼν μεθίεις καὶ τάρπεαι ἄλγεα πάσχων*, confer, si placet, *Δ 516, K 121, O 553, 716* al., aut sequitur infinitivus *μεθήῃσι μάχεσθαι, N 234.* A quo usu quantopere hic h. l. discrepet sponte apparet.

Simile quiddam habes infra in v. *90 τίπτε με κεῖνος ἄνωγε μέγας θεός;* verbum enim *ἀνώγειν* aut absolute ponitur conjunctum cum voce *θυμός* atque ita quidem, ut facillimo negotio suppleas infinitivum aut sequitur infinitivus. Cujus rei exempla invenies sexcenta apud Dammium. Hoc autem loco infinitivus longius est repetendus et *ἀνώγειν* eandem habet vim atque *ἐποτρύνειν*, quocum solet conjungi.

Versum deinde sequentem *49 τλητὸν γὰρ Μοῖραι θυμὸν θέσαν ἀνθρώποισιν* Arminius Köchly, vir doctissimus, qui et ipse hanc de *λύτροις* rhapsodiam, in qua terniones istos vel quaterniones versuum investigasse sibi visus est, commentatione quae inscribitur „Hectors Lösung" tuendam suscepit, propter illam nescio quam rationem ethicam rejiciendum esse existimat. Quaeri enim hoc v. ex imbecilla et infirma ingenii humani natura animo placabili et ad obliviscendum prono excusationem quandam, cum oblivio injuriarum ante factarum hoc loco maxime praedicanda sit summisque laudibus efferenda. [1]) Sed hoc in medio relinquamus. At aliud nescio an sit h. l. urgendum, quo jam Liesegangius est offensus. „Hunc enim, inquit, versum si exceperis unam Parcam, non plures deprehendes apud Homerum. Plurali numero si utuntur vates homerici non loquuntur de deabus illis, quae fato quasi praesidere humanamque sortem regere et dicebantur et credebantur, loquuntur de partibus ut *θ 470 μοίρας ἔνεμον, υ. 260 σπλάγχνων μοίρας*" [2]) Huc accedit quod in Iliade semel tantum praeter hunc locum pluralis legitur idque in Dolonea *K 253 τῶν δύο μοιράων* de nocte tripartita, de qua rhapsodia quid esset statuendum jam veteres critici intellexerunt. Tres Parcae earumque nomina, quae et ipsa homericae aetatis vatibus fuerunt incognita, inveniuntur apud Hesiodum (Theog. 217. 904. 905.) Quid igitur? nonne ex hac quoque re ut ex multis aliis hanc rhaps. recentiore demum aetate esse compositam conjicere licebit? Sed quo planior res fiat, lege, quaeso, versum qui est infra *209 τῷ δ' ὥς ποθι μοῖρα κραταιὴ*

γιγνομένῳ ἐπένησε λίνῳ, ὅτε μιν τέκον αὐτή, ubi fila nentem facit poeta Parcam. Simillimus versus est in rhaps. *Υ 128;* at hunc versum Alexandrini delendum esse judicaverunt ea de causa, quod ut ait Schol. ad *Ω 210 ἐνταῦθα καλῶς κεῖται, ἐπὶ δὲ Ἀχιλλέως ἐν τῇ Υ (128) οὐκέτι.* Quod ju-

[1]) Köchly „Hectors Lösung" Gratulationsschrift der Universität Zürich zum 50 jährigen Professorjubiläum von F. G. Welcker 1859 pag. 11.

[2]) l. l. pag. 11.

dicium, a recentioribus, quod quidem ego meminerim, omnibus comprobatum, mihi quoque rectissimum videtur esse. Quod si ita est, hic unus Iliadis restat locus, quo dearum illarum nentium mentio fit (quamquam tam saepe fieri poterat atque adeo erat necesse). Verbum quoque quod in hac re usurpari solet *ἐπικλώθω*, unum si exceperis locum, qui et ipse in hac rhaps. est infra v. 525 *ὣς γὰρ ἐπεκλώσαντο θεοὶ δειλοῖσι βροτοῖσιν* — in Iliade non deprehendes, saepius in Odyssea. Confer, si placet *α. 17 ἐπεκλώσαντο θεοί. γ. 208 ἐπέκλωσαν θεοί. λ 139. δ 208 ᾧτε Κρονίων ὄλβον ἐπικλώσῃ. π 64 ὥς γάρ οἱ ἐπέκλωσεν τάγε δαίμων* al. Unde quid sit concludendum, haud difficile sit intellectu. Ceterum totus hic locus cento est conglutinatus ex: *Τ 410 μοῖρα κραταιή Υ 128 γιγνομένῳ ἐπένησε λίνῳ, ὅτε μιν τέκε μήτηρ Σ 283 κύνες ἀργοὶ ἔδονται, ι 36 ἀπάνευθε τοκήων. Γ 429 ἀνδρὶ δαμεὶς κρατερῷ.*

Versuum qui sequuntur v. 53 Alexandrini deleverunt (Schol, B.), Köchly et hunc et v. *54;* at causae quas protulerunt mihi non satis magnae atque graves videntur esse. [1])

Legimus porro in v *57 ὁμὴν θήσετε τιμήν,* at nusquam alibi apud Homerum invenitur *τιμὴν τιθέναι,* dicitur *τιμὴν ἐγγυαλίζειν, πορεῖν* al., aut *ἐντίθεσθαι τιμῇ* ut *Δ 410 ὁμοίῃ ἔνθεο τιμῇ.*

v. *59* sq. Iunonem hic poeta facit gloriantem se Thetidem educasse atque Peleo nuptum collocasse omnesque deos illis nuptiis interfuisse, id quod nusquam praeter hunc locum in Iliade est narratum. cfr. supra.

In versu 61 *ὅς πέρι κῆρι φίλος γένετο* et in versu qui est infra 423 *ἐπεί σφι φίλος πέρι κῆρι* — *κῆρι* positum est pro *θυμῷ*, quod quidem multo usitatius est et tritius in formula illa: *μοι, τοι, οἱ φίλον ἔπλετο θυμῷ* neque praeter hanc formulam quidquam solet adjici nisi quod hac in rhapsodia bis vv. 748 et 762 legitur *ἐμῷ πολὺ φίλτατε παίδων,* quae verba dicta sunt ad similitudinem verborum *ἐμῷ κεχαρισμένε θυμῷ.*

v. *62 πάντες δ᾽ ἀντιάασθε θεοί:* nusquam, hunc si exceperis locum, verbi *ἀντιάω* invenies formam mediam [2]) verbi *ἄντομαι* nusquam formam activam. Idem statuendum est de verbo *ἱερεύειν,* quod habes infra in v. 125. Etenim verbi *ἱερεύειν* multae formae activae reperiuntur apud Homerum, forma passiva nisi hoc loco nulla.

Non possum non mirari, in hac rhapsodia nulla justa oblata causa deos induci inter se rixantes et objurgantes. Veluti — omisso v. 33 — hic v. 68 Juno invehitur in Apollinem verbis istis „*κακῶν ἕταρ᾽, αἰὲν ἄπιστε*“. At qua re Apollo fidem violaverit mihi non satis liquet.

Versus deinde sequentis 68, qui et ipse interpretes male habet, prior pars *ὣς γὰρ ἔμοιγ᾽* parum perspicua atque dilucida, posterior *ἐπεὶ οὔ τι φίλων ἡμάρτανε δώρων* explicatur quidem a Schol. V. *ἐπεὶ οὐχ ἡμάρτανεν ὁ Ἕκτωρ ἐμοὶ τὰ προσηνῆ ποιεῖν* et a Duentzero [3]); at verborum illa conjunctio nonne mira?

---

[1]) l. l. pag. 11 *υ* 54 passt eben so wenig zu Apollons „Unwillen“ welchen doch nicht „die Mishandlung des stummen Erdbodens, sondern „des stummen Leichnams erregt“.

[2]) cfr. Faesi ad h. l.

[3]) hom. Abhandlung pag. 338 *ἡμάρτανε* ist hier nicht causativ zu nehmen, sondern es heisst „er verfehlte der Opfer“, was bedeutet „er liess es daran fehlen.“ Sonst könnte man auch *δώρων* als Genitiv der Beziehung fassen, dessen Gebrauch besonders bei Hom. sehr frei ist.

v. 116 Köchly removit, judica ipse quam recte [1]). Qua in re non videtur vidisse, hoc v. contineri ea quae Jupiter ab Achille postulat.

In proximis versibus nihil inest, quod offendat, nam quod v. 117 Priamus „*μεγαλήτωρ*“ vocatur, id quod praeterea semel tantum idque *Z* 283 deprehenditur, ei rei forsitan nihil tribuendum sit.

Versus 121 ut alii multi hujus rhapsodiae ex prima translatus est. cfr. *Α* 44; idem v. exstat *Δ 74 Η 19.*

v. *124 ἐπένοντο καὶ ἐντύνοντο ἄριστον.* Vocabulum *ἄριστον* nisi hoc loco non esse in Iliade (cfr. *π* 2) breviter commemoro. Sed aliud restat, in quo jure mihi offendere videar. Quamvis enim frequens sit cum in Iliade tum in Odyssea *δαῖτα πένοντο,* semel tantum medio versu *Α* 318 legitur, neque usquam nisi h. l. addito augmento. Neque mihi praetereundum videtur esse, et verbi *ἐντύνειν* formam mediam et locutionem illam *δαῖτα, ἄριστον ἐντύνειν* ab Iliade prorsus esse alienam.

Versus deinde sequentes 126—127 cum pangebat poeta, reminiscebatur haud dubie primae rhapsodiae loci v. 360 sqq., ubi eadem Thetis filium lacrimantem consolatur. Sed quoniam h. l. Achilles lacrimas non profundit, sed ipse sese excruciat totusque in ultione explenda versatur, primus versus pro loci sententia mutandus fuit, sequens versus utroque loco prorsus eandem praebet formam.

v. 128 *ὀδυρόμενος καὶ ἀχεύων.* Atque in Iliade verba *θυμὸν ἀχεύων* solent versum claudere, veluti *Ε 869, Σ 461, Ψ 566,* semel tantum *ἀχεύων* absolute ut ajunt est positum *Ι 612 μή μοι σύγχει θυμὸν ἐνὶ στήθεσσιν ἀχεύων,* in quo quidem versu praeterquam quod tota haec rhapsodia maxime est suspecta, multa insunt quibus offendaris. Saepius autem *ὀδυρόμενος καὶ ἀχεύων* legitur in Odyssea, ut *β 23, ε 100, ξ 40* alibi.

vv. 130—132 ab Alexandrinis rejecti sunt, quod ut ait Schol. *ἀπρεπὲς μητέρα υἱῷ λέγειν „ἀγαθόν ἐστι γυναικὶ μίσγεσθαι“ καὶ τὸ λέγειν ὅτι ὁ θάνατός σου ἐγγύς ἐστιν ἄκαιρον.* Id quoque recentioribus quibusdam placuit, Faesio [2]) certe et Gepperto [3]). At vereor qui hujusmodi causis ducti hos versus delendos esse censent, ne potius ex suis ipsorum moribus quam ex heroicae aetatis ingenio judicasse videantur. Quam ob rem recte eos redarguit Köchly [4]).

Sed haec quidem hactenus. Proposuimus tractavimusque ex hac hujus rhapsodiae parte ea, in quibus singulare quiddam nobis inesse videretur et in quibus ipsa haec rhapsodia a ceteris Iliadis rhapsodiis maxime recedere putanda esset. Reliqua ad aliud tempus reservamus.

---

[1]) l. l. pag. 12. v. 116 schleppt ganz unbehülflich nach und enthält einen des Zeus unwürdigen Zweifel.

[2]) ad h. l.

[3]) l. l. I, 39. 237.

[4]) l. l. pag. 12: Denn es versteht sich von selbst, dass wir uns von der auch sonst zuweilen vorkommenden Pruderie der Alexandriner die charakteristischen und durch v. 675 f. geforderten Verse 130—132 nicht rauben lassen.

cfr. etiam Duentzer „hom. Abhandl.“ pag. 341.